



DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE
M U N D O;

QVAM CVM ANNEXIS,
Præside ejusdem Opifice,
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. ABRAHAMI HEIDANI, S.S. Th. Doct.
eiusdemque Facultatis in Illustri Acad. Lugd. Bat.
Professoris ordinarii, Ecclesiæque Dei Pasto-
ris disertissimi, vigilantissimi,

U T E T

Amplissimi Senatus Academicæ Consensu, atque ex Sub-
tilissimæ Facultatis Philosophicæ decreto,
Pro gradu DOCTORATUS, ac LIBERALIUM ARTIUM MAGISTERIO,
summisqne in PHILOSOPHIA Honoribus ac Privilegiis
rite consequendis,

Publicè & inaugnaraliter defendet
GERARDUS de VRIES, Ultraject.

Die 28. Maji, loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Viduam & Hæredes JOANNIS ELSEVIRII,
Academiæ Typograph.

CLO IEC LXXI.



*Amplissimis, Prudentissimis Magnificisque
VIRIS,*

D. D. JACOBO vander DUSSEN,
D. D. CORNELIO van VOORT;
INCLUTÆ REIPUBLICÆ
ULTRAJECTINÆ
CONSULIBVS,

Hocce studii Philosophici specimen

debitâ cum reverentiâ

sacrum facit

GERARDUS de VRIES,
Author.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS,

DE

M U N D O.

T H E S I S I.

Præclarè Mercurius Trismegistus : *Spectator operum Dei factus est homo, & admiratus est ea, & cognovit Creatorem.* Æternus scilicet Cosmopæus, exstructis amplissimis his, iisque copiosissimâ supelleâtile instruâtissimis ædibus, usuarium illis Colonum dedit Hominem; eumque in Universi collocavit meditullio, inde nimirum circumspecturum quicquid hæc continent Mundi machina : sive laudes ac grates debitas redditurum Deo creatori suo. Digna igitur, & conveniens homini, res est Mundi contemplatio. Sicut enim ad elegans spectaculum admissus, si oculos ad illud clauerit, indignus habendus qui fruatur oculorum deliciis : ita quis impunè feret Mundicola rationalis, si mentis suæ, quâ præ aliis eminet creaturis, ad Divinæ Majestatis undique in hoc Naturæ Theatro afulgentis radios, oculos non aperuerit ? Et nos ergo paulisper hæreamus in Mundi contemplatione ; quam selegimus hujus nostræ Exercitationis Inauguralis materiam !

II.

Hoc Universum (ut de voce aliquid præmittamus) uti Latinis ab ornatu *Mundus*, sic eadem de causa Græcis νόμος appellatus est : quæ nominis impositio Pythagoræ vulgo tribuitur; verum dubitantibus nonnullis, quia vox hæc in fragmentis Hermetis Trismegisti (scriptoris, uti volunt, Pythagora vetustioris) paucim occurrit. Quicquid de hoc fuerit, rectè Plinius : *Quem νόμον Græci, nomine ornamenti, appellarunt; eum nos, à perfecta absoluteque elegantia, Mundum.* Atque ita Mundus hic

Nomen ab ornatu convenienter habet:

Pulcherrimum quippè in eo videre licet ornatum, ordinemque admirandum, quo universa, suis quæque locis posita, diversissima licet, sine ulla tamen *ἀναζήτησι*, amicissimè conspirant & inter se cohærent. Longè petita & dura est Etymologia, quâ quidam vocem hanc deducere conantur, per aphæresin cum epenthesi, ab Hebræo τὸν *κούπισμόν* & τὸν *λόγον*, Latinis *universum* dicitur; quod quo sensu accipiendum sit, infrà explicabitur. Ex multis aliis, quas vocabulum hoc admittit, significationibus, duæ tantum nobis hic notandæ venient. Accipitur quandoque pro tota omnium omnino creaturarum, seu corporalium seu spiritualium, universitate: aliquando strictius, pro omnium corporum, qualia-cunque ea sint, completo systmate. Posteriori significatu nostræ considerationis est. Sed, missò nomine, ad rem!

III.

Missis aliorum, seu propriis, seu impropriis, Mundi definitionibus ac descriptionibus, quibus varietà variis dictus, pictus ac fictus est, hanc nos ejus definitionem: Mundus est ordinata corporum compages, à Deo, ad Gloriæ suæ manifestationem, in initio creata. Quod si cui conjungere placuerit duas definitiones, quas proponit Author libelli de Mundo cap. 2. quarum prior est: *Mundus est compages ē cælo terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ intra eam continentur;* altera: *Dicitur Mundus, ordo & digestio universorum, quæ à Deo & per Deum adservantur;* vix is aliquid à nostrâ definitione diversum dixerit. Hujus autem datæ descriptionis si partes discusserimus, Mundique deinde Affectiones lustraverimus, generalem ejusdem naturam sufficienter nos explicuisse putabimus.

IV.

Non inquisivi, An Mundus sit? Ecquis enim eum esse addubitet? Valentinianorum hæresis fuit (quæ sententia etiam Platonis à quibusdam tribuitur) Mundum, & quicquid eo continetur, inane quoddam φανόρθυον & umbram evanidam esse; quo torquebant textum *1 Cor. 7. vers. 31.* Verum nullâ is indigebit hujus absurdorum absurdissimi refutatione, cui mens sana est in corpore sano.

V.

Definitionis datæ spectandum occurrit tum Genus, tum Differencia. Illud posuimus Compagem, vel Systema: est enim Mundus unum

unum quid, non per se, sed collectivum; ex variis, iisque diversissimæ naturæ, corporibus coagmentatum. Differentiam petimus à causis, tum internis, Materia & Forma; tum externis, Efficiente & Finali: de quibus agendum jam uberioris in specie.

V I.

Materiâ Mundi, ut hinc auspicemur, intelligitur hic nobis compositionis, quam in definitiore ponimus esse corpora naturalia, quæcunque ea fuerint; cœlestia, subcœlestia; Simplicia, mixta; animata, inanimata. Materiam Mundi generationis nullam agnoscimus: quævis enim per naturam dubium esse possit, an non fortè ex præjacenti aliqua (finitâ tamen & creatâ) materiâ Deus hoc universum condiderit; attamen ex revelatione melius instructi, fide tenemus, à Deo, qui vocat ea quæ non sunt ac si essent, quique fecit lucem ex tenebris splendescere, hunc Mundum factum esse ex iis quæ non videntur, i. e. ex nihilo.

V II.

Positâ Materiâ, formam quoque ponî necessum est: quæ qualis mundo tribuenda sit, non omnes consentiunt. Commune dogma fuit Platonis, Pythagoræ eorumque sectatorum, Mundum hunc communi aliqua & unâ animatum esse animâ; quare & animal ipsum sæpius appellant. Eandem inter recentiores Campanella, alii que plures amplexi sunt sententiam. Sic scilicet

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Verum futilem esse hanc sic Philosophantium sententiam, nullo negotio patescit, si perpendamus, nullam rationem persuadere, admittendam esse animam tales viventem substantiam informantem in Mundo; quæcunque enim observantur in eo operationes, omnes facile per peculiares & distinctas formas explicari possunt, adeo ut nil necesse sit ad unam illam communem, quam statuunt, animam recurrere; & sic entia multiplicare absque ulla necessitate. Accedit, quod in omni animato requiratur partium continuitas, quam in Mundo non reperiri manifestum est.

V III.

Nec melius sentiunt, qui Deum volunt per modum formæ

— ire per omnes

Terasque, tractu que maris, columque profundum.

Qui enim ens perfectissimum & infinitum forma informans poterit

esse entis finiti ac multis modis imperfecti? Si quis verò formam intelligi velit tantum assistentem & impropriè dictam, is nec satis dicit, nec tutò loquitur. Concludimus itaque, Mundum hunc unum esse, non unitate essentiali, sed tantum unitate ordinis: ita ut forma ejus non sit quid substantiale, sed merum accidentale; *διπλεξία* scilicet, ac ordinata illa aptissimaque parrium dispositio ac harmonia, quā ita se se mutuo perficiunt ac fovent, ut hoc totum simul consti-tuant Universum.

IX.

Efficiens Mundi causa sequitur, quæ est Deus O. M. isque solus: tanta enim in hoc opere elucescit opificis bonitas ac sapientia, quan-ta in nullum ens finitum cedit aut cadere potest. Quin & longè su-perioris ordinis potentiam, infinitam scilicet, opus hic erat, quam est vel perfectissimæ creaturæ: ex nihilo enim hoc universum produc-tum esse, dictum jam est; creatione nempe immediatam, in qua ne locum quidem instrumenti creatura obtinere potest. Causa ergo creans Mundi solitaria Deus erit: nam neque ab alio, uti jam ostendui, neque à se ipso esse potest hæc universi machina. Eximia, quæ huc spectant, occurunt lib. de Mundo, cap. 6. verba: *Vetus sermo est, à majoribusque proditus inter omnes homines, universa tum ex Deo, tum per Deum constituta esse: nullamque naturam instructam satis ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium, sua ipsa demum tutela permissa sit.*

X.

Profana ergo & furiosa sententia est Epicuri, Democriti ac Leu-cippi, hunc Mundum non esse à Deo factum; sed ex æterna & in-creata materia, fortuito atomorum concursu, eum coaliuisse, deli-rantium. Optimè Cicero: *Certè ita temerè de Mundo effutiunt, ut mibi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum, qui locus est proximus, suspicisse videantur.* Et revera quis vel formicam ex casuali par-ticularum cohærentia oriri posse existimet, cum admirandam unius partis in alterius usum cogitat ordinationem? Quam ergo hoc erit insanum de toto Mundo affirmare? Neque Epicurum juvat jejuna ratio, Deum ex hoc Universo nil capere emolumenti; non enim id ex aliquâ indigentiam condidit Deus, ut ipse creaturarum bonitate fruatur, sed ex merâ bonitatis suæ abundantiam: in quam rem præ-clara sic Boëtius:

*Quem non externe pepulerunt fingere cause
Materia fluitantis opus: verum insita summi*

Forma

X I.

Liberrimè interim simul & sapientissimè hoc Universum condidit summus rerum Architectus. Liberrimè quidem, quatenus id ex independenti Voluntatis placito, vel in totum non condere; vel aliud, vel alio modo condere potuisset: hic enim agendi modus, cum perfectissimus sit, procul dubio Enti perfectissimo, independenti, sibi sufficiens, adscribendus est. Sed & sapientissime, ad amissum Ideæ suo arbitrio ab æterno sibi definitæ. Per Ideam hanc hoc loco nihil aliud intelligimus, quam ipsissimas Creatoris perfectiones, quatenus illæ analogicè expressibiles, &, secundum Decretum, in tempore exprimendæ erant in hoc Mundo. Audiamus iterum, si lubet, Boëtium, sic pereleganter:

— *Tu cuncta superno*

*Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.*

X II.

Cum itaqù Mundum hunc talem ac tali modo summus rerum arbiter considererit, qualem eum ac quali modo condere ipsi pro liberrimo suo delectu lubuit; patet ex naturæ lumine nil certi de creationis modo constare posse. Non enim unquam eam quis ex cogitatibus hujus universi productionis viam, quin facile mille alias inire potuerit Creator. Atque hinc nil jam mirabimur, gentiles in tenebris palpantes tam varias finxisse Mundi origines: aliis eum à Deo ex naturæ necessitate ab æterno emanasse statuenteribus; aliis materiam ejus Deo coæternam afferentibus; aliis ejus ortum fortuitæ minimorum corpusculorum unioni adscribentibus; aliis ex igne productum volentibus; aliisque alia Mundi primordia pro captu fingenentibus.

X III.

Si quid ergo de Mundi origine dicere velimus, id omne ex Sacris hauriri debet. In iis autem nobis revelatur, totum hoc universum à summo Numine, non uno momento (licet & hoc facillimum fuisset omnipotenti) sed sextiduanâ morâ, quotidianæ operationis serie continuatâ, creatum esse: & quidem ita, ut materiae moles, tam pulchro opificio destinata, primum prodierit; ex quâ deinceps expolitâ & solertissimè digestâ, admiranda hæc surrexit machina: cui consummatæ Creator dominuum dedit ac possessorem hominem,

nem, ultimò ex terræ glebâ creatum. Verum ubiorem hujus rei tractationem Theologis relinquimus. Acquiescendum interim Philosopho Christiano huic divinæ Mosis narrationi; neque illi de aspectabilis hujus Mundi alia origine cogitandum, quâ omnia successivè secundum regulas & leges Mechanicas, (quasi trochleis aut vēctibus egeret Deus, quod insanè objiciebat Epicurus) creata fuissent; non aliter ac sit in corporum naturalium generatione: nisi Ethnicos imitatus, vanis depravatæ rationis opinionibus deceptus, divinæ sapientiæ fulgorem humanis conceptibus obnubilare, atque ita veritatem erroribus implicare velit. Pulcherrimè Sanctus Martyr Irenæus: *Cui magis credemus de Mundi fabricatione? hominibus tua & inconstancia garrientibus; an discipulis Domini, & fideli famulo Dei Moysi & Prophetæ, qui primam Genesin Mundi narravit?*

XIV.

Ultima spectanda venit causarum, *finis*: qui, ut in aliis, ita & hic duplex occurrit; subordinatus, ac ultimus. Hic alius non est, quam bonitatis, sapientiæ ac potentiarum Divinæ manifestatio. Sic namque conveniens est, causam omnium rerum efficientem primam, earundem esse finalem ultimam. Ille, subordinatus scilicet homo: omnes enim creaturæ primitus ipsius imperio subjectæ, inque ejus bonum ordinatæ fuerunt, quin & etiamnum multis ei inserviunt modis; quod (præter Spiritum S. Psalm. 8. 7. Rom. 8. 20. 21. Deut. 4. 19.) usus docet quotidianus. Frustrâ autem quis metuet, ne hoc statuentes superbè nimis de nobis ipsis sentiamus: Neque, ut Bodinus, hoc arbitrii arrogantium hominum imbecillitas est. Quæ namque Arrogantia, quæ Superbia in eo, quod quis humiliter agnoscat Summi Numinis gratuitam erga se beneficentiam? Maximè, cum (fatentibus ipsis qui hoc metuunt) in Ethicis pium sit dicere, omnia à Deo propter nos facta esse, ut tanto magis ad agendas ei gratias impellamur. Scilicet, quod Ethicè pium est afferere, id Physicè erit falsum! Quasi non aliæ sint in promptu rationes motivæ, quibus impellamur ad Deo gratias referendas, quam falsæ ac confitæ. Neque dicere juvabit, multa existere & extitisse, quæ nunquam ab homine visa sunt aut intellecta, nunquamque ullum ulli præbuerunt usum. Facilè enim superabitur haec difficultas, si distinxerimus inter statum integritatis, & lapsus; etiam inter usum mediatum ac immediatum. Egregia hac de re occurrunt apud Laurentium,

stantium, *Divin. Instit. Epit. cap. 10.* Sed verba exhibere prohibent termini brevitatis, quibus includimur.

X V.

Actum sic satis de Mundi *Causis*, nostra definitione expressis; ex pendendæ jam porro veniunt præcipue ipsius *Affectiones*. Inter illas fæse primo loco offert *Magnitudo Mundi*. Absque dubio amplissima hæc est, nullique mortalium accessa aut determinata; an vero tam vasta ac immanis sit hæc Mundi moles, quam quidam illam statuunt Astronomi; meritò alicui suspectum esse potest. Quæstio hic movetur: An non Mundus respectu suæ extensionis sit infinitus? aut saltem: An non nos abstinere debeamus à determinanda finitate aut infinitate Mundi? Inter antiquiores Mundum, aut materiam ejus, infinitum statuisse feruntur Diogenes, Epicurus, Seleucus, & plures. Sententiam eandem inter recentiores amplexus est Franciscus Patricius; cui accedere videtur Gilbertus, aliquique ejus hac in parte sequaces. Ut clarius proposita controversia decidatur, ne quis sub voce latiter, prænotanda veniet significatio terminorum, qui hic tres occurunt: Finitum, Infinitum, Indefinitum. Finitum est, quod certis terminis est circumscripsum ac limitatum. Infinitum contrà, quod nullos terminos agnoscit. Indefinitum nobis est, non medium aliquod, seu participationis, seu negationis, inter finitum & infinitum; bi enim termini, contradictoriū cū sint, nullum medium patiuntur; sed id, cuius termini, ubi præcisè sint, quantumque à nobis, aut invicem, distent, dici nequit. Quibus positis, dicimus: Mundum in se ac re verâ finitum esse; quinimò, infinitum esse non posse; quævis ubi exactè sint Mundi termini, & quot à nobis distent miliaribus, definiri nequeat, atque isto sensu, respectu nostri, hoc universum possit dici indefinitum; quemadmodum indefinita nobis est V. C. Terra Australis, quam tamen in se finitam esse clarè ac distinctè concipi mus.

X VI.

Argumento nostro, quod unicum tantum jam urgere est animus, duo hæc præmitto, tanquam per se nota. 1. Partem toti non posse esse æqualem, 2. Unum infinitum altero infinito non posse esse magius. His prænotatis, sic nostram assertionem probo. Mundus hic, si infinitus foret, constaret ex partibus extensione finitis, vel infinitis; at neutrum dici potest: Ergo, &c. Major clara est, quia constat terminis contradictoriis, nullum, qualecunque fingatur, me-

dium admittentibus. Minor constat inde , quod primò posterius dici nequeat , nisi pars toti ponatur æqualis , quod repugnat prænot. 2. imo destruit naturam partis. Non ergo Mundus constare potest ex partibus extensione infinitis. Sed neque statui potest prius, eam scil. infinitum constare posse ex partibus extensione finitis. Illæ enim partes extensione finitæ etiam numero erunt vel finitæ , vel infinitæ. Prius dicere , est ponere contradictionem : ubi namque ultima pars (qualis in omni finito numero reperitur) terminatur, ibidein & totum terminari necesse est. Neque eligi potest posterius, nempe esse quidem extensione finitas, sed numero infinitas : nam, præterquam quod numerus infinitus sit numerus non-numerus, concipiamus singulas illas partes à Deo (cui hoc facilè esse, nemo negabit) dividì bifariam ; erit tunc numerus partium posterior priori altero tanto major , atque adeo unum infinitum altero infinito majus , quod est contra prænot. 2. Clarissimè ergo patet, Mundus hunc infinitum nec esse, nec esse posse : quod probandum erat.

XVII.

Alia Argumenta , quæ contra Mundum infinitum infinita militant, hic non accumulabo ; tantum indicans hæc ex Mondo infinito sequi absurdia : Aliiquid essentiâ esse infinitum præter Deum: Deum non esse Mondo majorem, aut extra eum (confer i Reg. 8. 27.) Non posse Deum de novo vel pulviscalum creare: Non posse eundem vel pulicem annihilare : Corpus non esse divisibile ; mensurabile ; figuratum ; mobile: Et quid non? Quare , ne hæc & longè plura admittantur absurdia, Mundus hunc finitum esse , quin & infinitum esse non posse, necesse est. Exceptionibus, huc adferri solitis, hic satisfacere, Thesum non patitur angustia : ipsi conflictui id reservamus.

XVIII.

Nec est , quod quis objiciat cum Patricio , Deo convenientissimum esse, infinitum produxisse Mundum ; ut qui hoc pacto infinitam suam potentiam & bonitatem maximè ostenderit. Quasi vero mensura potentia ac bonitatis Divinæ sumenda sit ex operis amplitudine. Certè , vel in unius formicæ creatione immensam potentiam ac sapientiam Deum manifestare , nullus non profanus negare audebit. At quæso , quid ni èadem operâ infertur Mundus Æternum, Immutabilem , Independentem esse; id est , Creaturam esse

Crea-

Creatorem? Non enim minus Infinitas attributum Deo proprium est, quam hæc enumerata. Constat ergo Creatori potentia imensa, ac bonitas infinita; licet ea non estimetur extensivè, ex creaturæ mole infinitâ: Et magnificè satis de Creatoris potentia sentimus; licet contradictoria esse possibilia, Mundumque hunc infinitum, non concipiamus.

XIX.

Sed fortè perges: Mundus hic nullos extensionis fines habet, nisi imaginarios; quia extra fictos limites semper spatii realia esse percipimus. Verum respondeo: Percipiat hoc quis. Quid tum? Conceptus hujus aut illius norma rerum non est, neque ab alio pro tali recipietur. Clarè & distinctè quam maximè ego concipio, extra Mundi veros ac reales, quos habet, terminos, nihil dari: iam sumus ergo pares. Quod si quis fuerit, qui conceptibus suis suaviter indulgens, extra hunc Mundum corpora vera ac realia sibi singat; facile id patimur, modo non imaginaria pro veris obtrudat. At instabis: Spatia illa extensa sunt, adeoque corpora; & sic pertinent ad hunc Mundum. Sed regero: concipiuntur quidem per modum extensi, ut omnia non-entia per modum entium nobis præsentamus, & possibilia per conceptum actualium: verum ea reverâ extensa esse, atque ita ad hunc Mundum pertinere, nego; cum sint tantum non-entia.

XX.

Ex dictis facilè colligitur, quidnam ad partem posteriorem Quæsiti Th. 15. propositi, respondendum sit; videlicet, nos posse & debere determinare Mundum hunc finitum esse, quin & infinitum esse non posse: hoc ipsum enim, propter rationes Th. 16. 17. allatas, clarissimè ac distinctissimè concipimus esse verum. Nec prætendi hic debet modestia, quâ cavere debeamus, ne superbè nimis de nobis ipsis sentiamus, Mundo huic aliquos limites affingentes, & nostris cogitationibus sic ferri volentes, ultra id quod à Deo factum est. Non enim hic quicquam Mundo affingimus; sed quod à parte rei verissimum esse ex firmissimis argumentis cognovimus, id sic concipimus ac enunciamus. Porro eadem specie Mundi Aeternitatem, eundemque non esse ens perfectibile, tueri quis poterit; affectatâ scilicet modestiâ prætendens, se nolle vim cogitationum suarum ultra id quod à Deo factum est extendere.

Verum missâ hac Mundi tum infinitate tum indefinitate, quæ quidem indefinitam faceret nostram Disputationem, progrederimur ad ejus *Vnitatem*. Inter Antiquiores non pauci Mundorum plurilitatem defenderunt: inter quos Anaxarchus, sua de Mundorum infinito numero dissertatione, Alexandro Magno lacrymâs excussisse narratur. Inter ipsos Patres huic errori fuit proximus Origenes, continuâ successionis serie alium post alium existere Mundum, fingens. Alii vero in aliud extreum abeuntes, non tantum unum esse Mundum affirmarunt; sed & plures esse posse negarunt: quales Plato, Aristoteles, aliqui tum prisci tum hodierni Philosophi. Nos, mediâ incidentes viâ, Mundum unum ex revelatione credimus; nullas tamen rationes naturales, quibus ea probari possit, videntemus. Neque adeo dubitamus, quin Deus, ita si placeat, pro immensâ suâ potentia, non alterum tantum, sed vel decem & plures alios possit actuare Mundos: nulla enim in eo occurrit absurditas aut contradic̄tio.

Quod enim ad cornutum, quod opponi solet, argumentum: Si plures existerent Mundi, illi vel distarent vel non distarent: At neutrum statui potest, Ergo, &c. tam parum validè id ferit, ut vel utrolibet cornu apprehendi facile queat. Elige ergo, ut liberales simus, ipse: nam vel distare, vel non distare posse plures Mundos, pro divino placito, asserimus. Dices: Si non distent, ergo erit unus tantum Mundi, non plures. Quam ridicule! ac si sola contiguitas ex duobus faciat unum; & non præterea hic requiratur partium omnium conspiratio & harmonia ad unum ordinatum Systema constituendum. Non magis ergo hoc argumentum procedit, ac si quis inferat, duos globos, quorum alter alteri impositus est, eo quod se mutuo in puncto tangant, unum esse globum. Sed perges: Si distent duo Mundi, distabunt ita, ut vel aliquid vel nihil interjectum sit: sed neutrum sine absurditate dici potest; non ergo distare poterunt. Respondeo rursus, utrolibet modo distare posse. Quod enim ad prius; quidni Deus corpus tertium qualecunque inter utrumque Mundum interjicere poterit, quo ii ab invicem separantur? Nec majus hic periculum confusionis utriusque Mundi in unum erit, quam in immmediato duorum (quem jam possibilem ostendimus) contactu. Verum, ut omni modo nos liberales ostendamus, distent etiam ita duo Mundi,

Mundi, ut nihil interjectum sit : quid hic difficultatis ? At, inquies, hoc fieri non poterit, quia sic se mutuo tangent : nihil enim cum interpositum sit, nullum erit distantiae fundamentum. Verum enim verò ex vulgari præjudicio hanc oriri argumentationem, exinde manifestum est ; quod ex eo, quia notabile aliquod vacuum in hoc Mundo ex ordinatione divina non dari, nec naturæ viribus dari posse; consequenter omnia apud nos interjecto corpore distare, observatur : quod, inquam, ex eo inferatur, etiam per absolutam Dei potentiam duo corpora, sine interjecto tertio, distare non posse. Quod ad subjectam rationem, de fundamento distantiae; eam non stringere videbimus, si cogitaverimus distantiam non esse quid positivum, sed merum non-ens, negationem scil. contactus, cuius adeo fundatum positivum esse nil est necesse. Quare ut corpora duo distare dicantur, insufficiet talis extremitum situs, ut illo manente eodem, tertium aliquod interjici possit : quod autem apud nos etiam de facto semper tertium interjiciatur, hoc distantiae merum accidentale est, uti jam dictum.

X X I I.

Neque felicius plurium Mundorum possibilitatem destruit artificiola, quæ captatur ex eo, quod τὸ πᾶν, seu Universum appellatur: scilicet Mundus hic omnia omnino corpora non caperet, utique Universum ac τὸ πᾶν non foret; atque ita Mundus hic, Mundus non esset, si extra eundem quippiam daretur aliud. Sed totam hanc objectionem purè nominalem esse, quis non videt ? Siquidem enim per τὸ πᾶν aut Universum, universitatem intelligas omnium omnino rerum, seu creatarum, seu creabilium, eo sensu Mundum Universum dici posse, nego. Sin vocem Universi sumas pro systemate creaturarum jam existentium tantum, nil tum ad rem faciet hoc quod adfertur. Totum ergo speciosum hoc argumentum in item de voce recidet ; quæ ut decidatur, spectandus venit ejus usus vulgaris, cui in controversiis nominalibus standum est. Vocem autem Universi posteriori significatu sumi solere, vel hinc patet, quod omnes Authores Christiani, qui possibilem Mundorum pluralitatem admirerunt hactenus, nontamen vocem hanc fugerint. Aliam rationem (ex qua hæc sententia de impossibilitate plurium Mundorum subnata videtur) exinde sumptam, quod intelligamus Materiam hujus Mundi omnia omnino spatia imaginabilia, in quibus alii Mundii esse deberent, jam occupare ; nunc non attingam ; cum hæc satis

mole ruat suâ per ea quæ Thes. 15. & seqq. de Mundi finitate dicta sunt. Ex determinata sic hac controversia facilè solvetur alia, huic affinis: An Deus Mundum hunc minorem aut majorem creasse potuisse, aut etiamnum creare possit? Quare ne verbum de eâ addo.

X X I V.

Expendenda succedit Mundi *Duratio*; quæ duplex spectari potest, vel à parte antè, vel à parte post. De priori quæritur: utrum ea fuerit, vel esse potuerit, æterna? Multi inter Veteres Philosophos (inter quos & Aristoteles hunc errorem errasse videtur) universum hoc, vel saltem materiam ejus, quam fingeabant præexistens, æternum fuisse senserunt. Verum Mundum hunc, aut qualemcumque ejus materiam præjacentem, non modo non esse, sed neque esse potuisse ab æterno, eodem evincitur argumento, quo supra Thes. 16. Mundi infinitatem extensionis refutavimus. Nimirum jam effluxissent infiniti dies, si hoc universum ab æterno fuisset; etiam infinitæ effluxissent horæ. Numerus autem horarum numero dietur major est; erit ergo quoque infinitum infinito majus: quod cum sit impossibile, etiam impossibile erit Mundum hunc exstitisse ab æterno. Nec evades, excipiendo, dies aut horas tum non fuisse, cum sola existeret hujus Mundi materia, sed post demum eos initium sumpsisse cum hujus Universi ex ista materia productione; non, inquam, sic difficultatem objectam tolles: cum enim omnis rerum duratio (solius Dei exceptâ) sit successiva, talis etiam huic materia adscribenda veniet; atque ita, licet fortè dies aut horæ per motum Solis distributæ nondum tunc fuissent, fuissent tamen spacia temporalia, nostris diebus ac horis commensurabilia, de quibus eadem redibit difficultas, quæ mora est circa dies ac horas propriè dictas. Alia argumenta brevitatis gratiâ prætereo; ut & Objectiones magno numero ab Averroë & Proclo, post Aristotelem, congestas, quas omnes fermè quis haud difficulter solvet, si ad hos tres solutionum fontes attenderit: 1. Creationem esse possibilem, adeoque à Deo ex nihilo posse fieri aliquid. 2. Deum esse agens liberissimum, quod non operatur ad extra ex aliqua naturæ necessitate. 3. Novitatem essendi in creatura non facere mutationem in Creatore.

X X V.

Constat ergo Mundum hunc aliquod existentiaæ suæ habuisse initium. Quantum vero temporis à primo illius durationis puncto ad nostra hæc tempora elapsum sit, præcisè non scitur; saltem non ex natura:

natura: cum nulla sit ratio, cur non ante decies mille annos æquè principium durationis acceperit, quam ante sexies mille, quos præter propter elapsos jam esse, historia docet Sacra & profana. Potuisse enim Deum antevertere creando hoc, quod jam primum fuit, durationis Mundanæ initium, ita ut ad hunc usque diem longè plures Solis, seu annuæ, seu diurnæ, extitissent revolutiones; æternam agentis liberrimi potentiam rectè perpendenti dubium esse nequit. Quæstio porro hic non injucunda, & à variis variè determinata, moveri solet circa anni tempestatem (respectu videlicet istius terræ tractus, in quo primi homines conditi sunt) in quam initium creationis inciderit? In duas ferè partes abierunt hic docti; aliis pro Vere, aliis pro Autumno stantibus: pro Solsticiis enim pauci defivereunt. Urimque rationes adferuntur haud improbabiles. Nos, iis expensis, dubii hærentes, nil hic definimus: quare ad objecta pro utralibet parte argumenta respondebimus.

XXVI.

De duratione à parte post quæri solet: An Mundus hic hoc in statu perseveraturus sit in æternum, an vero aliquando sit interitus? Prius ex natura probabile videri potest: Ratio enim attendendo ad ordinarium naturæ cursum, non improbabiliter concludet, posito ordinario Dei concursu, Mundum hunc in perpetuum duraturum. Tanta enim hujus Universi observatur Constantia, ut eandem ferè rerum faciem, nec multum à se ipsa mutatam, in corporibus mundanis videre liceat. Quæ enim quidam adferunt de Mundo, & iis quæ in eo sunt, magis magisque indies collabente, & ad integrum vergente; de sole jam magis quam olim terræ propinquo, ad effetas naturæ vires majori calore fovendas, &c. nugatoria sunt, & talia, ut scripta illorum authorum spongiis, aut ipsos scuticis castigandos censeat Jul. Cæs. Scaliger. Neque nostræ thesi adversatur sententia Stoicorum, Mundum hunc flammis interitum, afferentium; quibus accedens Ovidius sic canit:

Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,

Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli

Ardeat, & Mundi moles opero a labore.

Hæc enim, aliaque hujusmodi, Gentiles illos ex Naturali lumine hausisse, probari posse non video. Præterquam enim quod ex falsa hypothesi hanc conclusionem deduxerint, conflagraturum scilicet universum propter humoris defectum; valde est probabile, si non planè

plane certum, eos hæc habuisse ex traditione ac scriptis sacris: quælia plura in lib. 1. *Metam.* Ovidii ostendere, non foret difficile. Ex revelatione autem nos Christiani certo exspectamus sæculorum consummationem; in qua fideles collabentis Mundi ruderibus subducti, ex hac mortalitatis Colonia in æterna & celestis patriæ tabernacula etiam corporibus sint traducendi. Verum qualem hæc Mundo allatura sit mutationem, substantialem, an vero tantum qualitativam & accidentalem? Theologis discutiendum relinquimus.

XXVII.

De figura porro videndum. Communior opinio eam rotundam Mundi tribuit; sed debilibus nixa fundamentis. Nos de exteriori Mundi superficie nil pro certo statui posse putamus: interior interius nobisque aspectabilis cœli facies rotunda esse videtur.

XXVIII.

Perfectio hujus Universi sequitur, quæ maxima est; ita ut nihil, sive ad jucunditatem, sive ad utilitatem, sive ad necessitatem id pertineat, ei desit; verum omnium specierum plenitudinem sibi debitam sub optima consonantia ac symmetria complectatur: quam ob causam & eidem *Pulchritudo* convenit admiranda. *Fas enim erat*, ut optimè Plato, non nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus. Nec obstat quod perfectior hic Mundus à Deo creari potuerit. Nam licet vel mille novas rerum species ei superaddere possit ejusdem conditor, tamen ideo perfectus is esse desinit. Non enim operis cuiuspiam perfectio estimari debet ex iis quæ addi possent, sed ex illis, quæ fini, cuius gratiâ factum est, & prototypo, cuius est ectypion, debentur. Priori modo Universum hoc perfectum esse, nemo ignorabit, qui Deum Creatorem suum, in tanta rerum discordium concordia Sapientissimum, in tanta utilitate Optimum, in tanta amplitudine Maximum, in tanto nitore Pulcherrinum, in tanta varietate Dittissimum, in tanta earundem constantia Potentissimum, colit & adorari debere ritè agnoscit. Etiam posteriori modo Mundum perfectum esse patet, ex Opificis Omnipotentia; quâ facile eum perficere potuit, ut voluit, secundum æternam ejus in mente sua Ideam.

XXIX.

Restat tandem verbum addere de Mundi distributione generali in partes, earundemque situ. Vulgaris est hujus Universi divisio in Cœlum

Cælum & Terram. Prior pars comprehendit omnia illa corpora,
quæ inde ab orbe Lunæ (uti vulgò loquuntur) se extendunt ad
Mundi usque terminos. Posterior regio cuncta continet subluna-
ria; elementa, & ex illis mixta. Ad specialiorem horum explica-
tionem descendere nostri jam non est instituti. Interim, quid de
harum partium situ statuendum sit? quæritur. Triplex fermè hic
est doctorum sententia: unde natum triplex Mundi Systema, Ptolo-
maïcum, Copernicanum & Tychonicum; nisi quis addere etiam
velit quartum, Cartesianum. Nos de iis Physicè sic breviter sta-
tuimus. Displicent in tribus prioribus Orbis solidi ac reales. Quar-
tum naturæ vim inferre videatur: dum enim introducuntur vortices,
duplex creatum videmus malum. Fluidi hi vortices in invicem
impingentes (nisi miraculosè impediatur) necessariò commis-
buntur, atque ità in unum ingentem vorticem coalescent: Neque
juvabit polarum distantia aut consentiens eorundem motus, dum
fluidi manent vortices. Deinde; necessarium erit admittere hoc
Mundi Systema infinitum; ne, ut benè alicubi H. Morus, materia
vorticum à centris suis recedat, totaque Mundi machina in dissipatas atomos;
vagosque abeat pulvisculos. Insuper imprimis in secundo & quarto di-
splicet Terræ circa Solem delatio: quam cum è diametro adversari
judicem iis, quæ constanter de Solis circa Tellurem motu tradun-
tur in Sacris; malo ignorare quæ tacuit Sp. Sanctus, quam impu-
gnare quæ dixisse eum existimo. Pii etenim animi est, soli potius
authoritati divinæ credere, quam fallacibus hominum judiciis.

XX X.

Quæ autem hypothesis, ex enumeratis, Astronomicis supputa-
tionibus magis conveniens sit, hic non inquiero; nec litem hanc
(quæ peculiarem requirit Diatriben) facio in præsentiarum meam.
Fortè qui tertium defendunt Systema Astronomi, non minus feli-
ter phænomena salvabunt, quam qui assumunt hypothesis secun-
dam, quartamve. Lubet adscribere, Corollarii vice, verba Cl.
Medici ac Mathematici Groeningani, Nicolai Mulerii, qui ipse
Copernicum, à mendis multis repurgatum, edidit in lucem: maxi-
mè ideo, quia putant & conqueruntur Copernici sectatores, adver-
sarios ignorare argumenta Copernici. Sic autem ille, in initio præ-
fationis suarum Institutionum Astronomicarum: „Duas hodie esse
„Astronomorum sectas in confessu est. Alii Peripateticorum ad-
„hærent sententia, alii Pythagoreorum dogmata sectantur. A mul-
tis

„tis sacerdatis saeculis recepta Peripateticorum sententia haec est: Terram in
„mundi centro quiescere, solem vero & sydera duplice motu cir-
„cum terram ferri, diurno & annuo. Hanc sententiam acriter
„tuentur Aristoteles, Hipparchus, Ptolomaeus, Alfonsus, Braheus
„& cum ipsis infinita eruditorum multitudo. Non desunt tamen
„nonnulli & quidem praestantissimi Mathematici qui cum Schola
„Pythagorica Soli in centro, stellisque fixis in supremo celo,
„quietem tribuunt, solos planetas una cum terra moveri contem-
„nentes. Erudita & acris sed sine odio contentio haec est. Verum
„enim vero postquam rationes argumentaque utriusque sententiae per totos
„viginii quinque annos diu multumque examinavi, nondum cognoscere po-
„tui causam idoneam & satis validam, qua me a sententia a tot tantisque
„viris approbata recedere cogeret. Non ignoror multa contineri in hy-
„pothesibus Astronomicis absurdula, & a recta ratione dissentanea.
„Sed quid moratur hypotheses, quae mera sunt hominum figmen-
„ta, mundi sistema analytice resolvere fustra conantur? Ipse
„Copernicus dum istos absurditatum scopulos vitare vult, incur-
„rit in æternæ haud minus enormia prioribus. Haec Mulerius.

A N N E X A

I. Ex Philosophia in genere.

1. Sine aliquali totius Encyclopaedia notitia, nemo feliciter Theologiam tractabit.
2. Non tantum Metaphysica in Theologia; Ethica in Iure; Physica in Medicinâ; Logica in ulla harum traditur, quantum sufficit.
3. Philosophia Aristotelica, prout hodie in Christianorum Scholis doce-
tur, satis est integra & cum rei veritate conveniens; quicquid contradicant e Ant aristotelici.
4. Ad feliciter Philosophandum multum prodest Veterum Philosophorum lectio.
5. Non male Aristoteles: Oportet discentem credere.
6. Senuum testimonia magnum sunt in Philosophando subsidium.
7. Non sola iupitidas, sed & nimia subtilitas, sèpè studiorum remo-
va est.
8. Dubitationem universalem rejicimus.

9. Licet Philosopho sua Philosophemata etiam ex S. Litteris confirmare.
10. Philosophia defendenda & explicanda Theologia multis modis inservit.
11. Veritas revelata Rationis naturalis examini non est subiecta.
12. Specificatio disciplinarum petenda est ab Objecto formaliter.
13. Benè Philosophia à Peripateticis divisa est in Theoreticam & Practicam.
14. In addiscendis disciplinis Philosophicis, recte quis initium fecerit à Mathesi; inde progressus ad Physicam; post ad Metaphysicam; tum ad Pneumaticam; tandem ad Philosophiam Practicam.

II. Ex Metaphysica.

1. Metaphysica Vulgaris utilissima est, & futuro Theologo maximè necessaria.
2. Essentia ab existentiā realiter non distinguitur; quare minus bene Ens diffiscitur in Nominale ac Participiale.
3. Conceptus Entis in ordine ad Deum ac Creaturas est Analogicus.
4. Principiorum omnium primum ac evidenterissimum est: Impossibile est idem simul esse & non esse.
5. Cogito, ergo sum, Principium primum non est.
6. Etiam si vel verissimum foret illud: Quæ clare & distincte percipimus, sunt vera; non tamen alicuius in Philosophando usus esset.
7. Præter ipsam rei singularis realitatem, principium Individuationis nullum agnoscimus; magisque laborandum videtur de universalitatis principio.
8. Non omnia illa quorum unum clare & distincte concipi potest, non concepto alio, realiter ab invicem distinguuntur.
9. Veritatis ratio formalis consistit in convenientia rei, non cum suâ definitione, sed cum Ideâ in mente Divina.
10. Nemo, etiam sapientissimus, in hoc rerum statu, facere poterit, ut nunquam in suis ratiociniis erret.
11. Erroris causa non est, quod Voluntas nostra latius pateat Intellectu.
12. Sensu recepto verissimum est illud: Nihil est in intellectu, quod non antea fuerit in sensu.
13. Causarum una, alterius, quæ diversa speciei est, defectum supplere nequit.
14. Non semper causa causæ est etiam causa causati.

15. In Causarum subordinatione progressum dari in infinitum, impluat.
16. Libertatis ratio formalis non consistit in Indifferentia; sed in Spontaneitate rationali: eaque optimè cum aliquā necessitate consistere potest.

III. Ex Pneumatica.

1. Corpus nobis Spiritu notius est.
2. Essentia Spiritus non consistit in cogitatione.
3. Claram ac distinctam Dei Ideam nemo habet creaturarum, nec habere potest.
4. De existentiā Numinis dubitare quod liceat non putamus.
5. Ex ideā innatā Atheo existentia Dei demonstrari posse non videtur.
6. Omnis acquisitā de Deo ex naturā notitia est per viam causalitatis.
7. Athet speculativi nulli dantur.
8. Deus est à se negativē.
9. S. Triados Mysterium ex naturā probari, nedum demonstrari, posse nego.
10. Ad Immenitatem divinam concipiendam, conceptus spatiorum possibilium extra hunc Mundum, est per quam necessarius.
11. Deus toti Vniverso praesens est essentialiter.
12. Deus rem scit futuram, quia futura est: neque tamen res ex se futura est, sed per decretum.
13. Recte potentia divina dispensatur in absolutam ac ordinatam.
14. Dantur spectra.
15. Futile est diabolum semper aliquo indicio noscī.
16. Anima humana suā naturā immortalis est.
17. Nihilominus eadem, dum est in corpore, planè est organica.
18. Non alio modo, quam per creationem producitur.
19. Iudicium est in Intellectu.

IV. Ex Physica.

1. Physica non incertis conjecturis, aut fictis hypothesibus, sed principiis notis ac concessis nisi debet.
2. Omnis materia, qua talis, est prima.
3. Dantur forma substantiales materiales.
4. Privalio ponitus conditio generationis sine quā non erit; quam Principium.

5. An ratio formalis Quantitatis consistat in Extensione, an vero Impe-
netrabilitate & quæstio nominalis videtur.
6. Non datur rarefactio aut condensatio, nisi vulgaris.
7. Vacuum per absolutam Dei potentiam dari potest: quin & de facto
vacuula dari, non improbabile est.
8. Locus nil aliud est, quam imaginaria vacuitas corpore repleta.
9. Duo corpora in uno loco; unum corpus in duobus locis, esse nequit.
10. Motus liquorum in anthliâ, tubore torto, &c. est vacufugitorius;
non vero sit per pressionem.
11. Occultas Qualitates dari affirm.
12. Omnis motus est novus.
13. Non omne, quod mutat respectum ad corpus circumiacens, movetur.
14. Gravitas descendunt à principio interno.
15. Natura motus reflexi optimè explicabitur, si attendamus, qui pilâ
gymnaſtica à batillo reticulato refl. ētatur?
16. Quies est quid priuatum.

Ex Physica Speciali.

1. Stellæ videntur esse globi ignei.
2. Ignis calor non est minimarum particularum motus.
3. Omnis ignis est lucidus & calidus.
4. Aqua in statu naturali est fluida, non sicca.
5. Mare in fundo non est minus salsum quam in superficie.
6. Terram intus magneticam esse, & sitam in medio mundi, probabile
est.
7. Elementa integra manent in mixto.
8. Omnis generatio est univoca.
9. Cometa sunt signa malorum.
10. Sal, Sulphur & Mercurius non sunt principia Metallorum.
11. Ovum, ut & semen fœcundum, est animatum; nontamen animal.
12. Animar rationalis tota est in toto actore in qualibet corporis parte.
13. Unio animæ cum corpore nostro non consistit in eo, quod ad motum
corporis varia ipsa cogitet; & vicissim, ad voluntatem animæ varie mo-
veatur corpus.
14. In uno homine tantum una est anima: an etiam in homine bicipite?
Disq.
15. Virunculi montani, Nymphæ aquatice, Tritones, Satyres, Centauri,
& Pigmæi, Basilisci, Vnicornua, Phœnices, Pellicani, quales vulgo de-

scribuntur, vel Satanae ludibria; vel hominum figmenta sunt.

16. Pili, ungues, cornua, sanguis, unâ eâdemque non informantur animâ cum cetero toto.

17. Potest virgo, intemerato pudore, lac profundere.

18. Bruta cognoscunt & sentiunt; non tamen ratiocinantur.

19. Sensus externi reâ è statuuntur quinque.

20. In somno omnes sensus externos ab actionibus cessare non est necesse.

21. Cur ignis continuo alimento indigeat; & quomodo ex silice chalybe percusso scintilla evolet? 22. Cur spiritus vini accensus linteum, quod madefecit, non comburat? 23. Cur candela, meridie radiis solaribus exposita, extinguitur? 24. Qui pulvis pyrius tam admirandas exerceat vires?

25. Cur Sol eodem calore lutum induret, ceram verò mollem reddat? 26. Cur cortices assatae castaneæ non incisa rumpantur; non item cocta?

27. Cur paululum aqua igni inspersum flammarum augeat? 28. Cur ex motu oriatur calor?

29. Cur sal in ignem conjectus crepitet? 30. Cur aër ore patulo, calidus, contracto rorò exspiratus frigidus sit?

31. Cur idem, calo sereno, sit cœruleus?

32. Cur sal astringat, putredinem arceat, & expurget?

33. Fontes & thermae unde originem ducant; & cur illi non sint salsi?

34. Vitrum cur sit pellucidum, fragile, alterumque altero fragilius?

35. Ortum nubis, pluvia, grandinis, nivis, nebulæ, roris; tonitus, fulminis, fulgoris, stellarum cadentium aut trajicientium, lapidum fulmineorum; terræ motus, specus ardantis, montium ignivomorum;

36. Cur fulmen illæso tegmine, as in crumena liquefaciat?

37. Cur idem sape à putredine præservet cadavera?

38. Vena metallica qui generentur?

39. Qui planta crescat, ramos emitat, foliis hyeme spolietur?

40. Qui fiat sensatio, & motus animalis?

41. Cur odorifera calefacta magis odores spargant? petenti explicabimus.

Ex Arithmetica.

1. Arithmetica princeps est disciplinarum Mathematicarum.

2. Duas tantum Arithmetica Species primas statuimus, Additionem & Subductionem.

3. Duplatio ac Mediaatio non sunt species à Multiplicatione & Divisione distinctæ.

4. Subduçio à sinistra satis commodè inchoari potest, imprimis à tyronibus.

5. Proba per ejectionem novenarii in Speciebus incerta est & sepè fallax: quare præstat (utut operosius sit) Additionem per Subductionem, Multiplicationem per Divisionem probare; & contrâ.

6. Facilius semper est inventire quadratum aut cubum per radicem cognitam;

gnitam; quam radices per quadrata aut cubos.

7. Quidam debet hodiè unum florenum; cras decem aspes; perendiè quinque & sic semper porro: vult debitor hodiè se liberare his minutis pensionibus, quaritur quā summā? Si jubeas dare tantillo minus quam duos florenos, injuria fiet creditorī; si ipsos duos florenos, debitorī.

V I. Ex Geometria.

1. Proportionem inter diametrum ac peripheriam, 2 Chron. 4. 2. variis modis, etiam Geometrice, esse accuratam assertimus.

2. Demonstraciones per superpositionem, vel ad absurdum, mechanicas, aut illegitimae non sunt.

3. Magnitudo in infinitum est divisibilis.

4. Logomachiam capiant, qui querunt; an in omni triangulo tres anguli videntur duos rectos? ac si id ab Euclide esset demonstratum.

5. Ineptissime multos ex Isoperimetria colligere arearum aequalitatem, vel inservienti 35. prop. lib. 1. Eucl. pateat.

6. Neque tamen ex allegata propos. Atomum figuram mutare posse, sequitur.

V II. Ex Astronomia.

1. Tota Vranometria conjecturalis fere est.

2. Planetas ejusdem cum nostra terra materia, & animantium hospites esse, Neg.

3. Solem vicibus 434 Terrā majorem esse incerta assertio est.

4. Luna revera magnum est luminare.

5. Eclypsis solaris tempore passionis Salvatoris plane miraculosa fuit: maculis vero solaribus eam adscribere, ineptum est.

6. Nunquam (eclypsi totali exceptā) est verum interlunium.

7. Posset corpus aliquod Luna conspectum nobis impedire, et si longe remansus esset a terra, ipsa luna.

8. An ortus Syrii sit adjuvans causa aestus, qui in Iulio & Augusto percipitur? neg. qua ergo? 9. Qui eclypsis possit fieri, utroque luminari existente supra Horizontem? 10. Cur sol maturius ortus saepe pluvias nuntiet? item, cur oriens aut occidens appareat major? 11. Cur crepuscula, quo sphaera magis obliqua, eo longiora? 12. Cur horologia solaria post tempus aliquod fidem decoquunt? roganti dicemus.

VIII. Ex

VIII. Ex Geographia.

1. Non satis justâ de causâ primus Meridianus ex Canariis in Flandricas insulas est translatus.
2. Sona torrida habitabilis est secundum omnes partes; non item frigida.
3. Dantur Terri-colæ, quibus mensis est pars diei.
4. Dantur homines, qui utrique simul, in dissimilis locis, habent diem maximum artificialem, & post sex menses pariter minimam noctem.
5. Brevisima inter Periacos via hactenus invia; inter Antacos antiquis invia, jam pasim pervia est.
6. Dantur incola terra, inter quos viæ brevissimæ sunt infinitæ.
7. Remotis omnibus inequalitatibus à superficie terræ, globus plano aliqui, terra incumbenti, impositus, quounque planum reclines, quiesceret.
8. Puteus ad perpendicularium effossus cylindraceus non erit, sed turbineus.
9. Duo gravia in dissimilis locis rectè descendantia, non feruntur secundum parafias.
10. Hererostii australes cur minus calidam habeant astatem quam boreales?
11. De Æstu marino (quem Philosophicè explicatum hactenus non putamus) quid videatur?
12. Mare cur navigationi magis conducat, quam flumina dulcia?
13. Petenti expl.

IX. Ex Optica.

1. Omnia (lucis exceptâ) visio sit per radiorum reflexionem.
2. Nullus radius refractus est sine reflexione.
3. In motu lucis angulus incidentia & reflexionis non semper sunt aquales; sed hic semper acutus.
4. Globoso aliquo ad oculum accedente, quod plus illius videre nos putamus, eò minus videmus.
5. Imago visa non est in speculo.
6. Possunt à duobus luminosis tres umbras prodire.
7. Cacos solo tactu de luce aut coloribus judicare posse, falsum est.
8. Notus jam vulgo est modus, quo res scenographicè, ab artis pictoriae ignaro, & cui respingenda non patet, pingi optime potest.
9. Omnia pupilla cur sint nigrae; irides vero diversi coloris?
10. Cur sceleres de nocte videre queant?
11. Cur ardens titio in orbem actus speciem anuli ignei exhibeat; item cur chorda celeriter vibrata gemina appareat?
12. Cur gemino oculo unam tantum rem videamus; ebrietate vero & strabones

gemi-

geminam? 13. Myopia ac Presbytia unde oriuntur; & cur haec Omphaloparis, illa Myopris corrigatur? Querenti expon.

X. Ex Acoustica.

1. Auricula primarum audiendi instrumentum non sunt.
2. Surdus aliquis potest scilicet aperte fidium concentum percipere.
3. Potest remotior percipere sonum, quem non percipiat sonoro propinquior.
4. Echo integras voces semper reddit.
5. Cur ea aliquando sit normalis, aliquando obliqua? 6. Cur aliquando audiatur polyyllaba, aliquando non?
7. Echo polyphona unde oriatur?
8. Vbi stare debeat auditurus Echum?
9. Cur Echo in bombum aliquando dicitur?
10. Cur nervus idem acutius sonet, si intendatur; gravius, si remittatur?
11. Cur cavâ manu auri admota, melius audiamus?
12. Cur in musicis instrumentis, pulsata unius chordâ, alterius alia ad unisonum tensa, non pulsata tamen, sonum cedit?
- rationem dabimus.

XI. Ex Peribologica, ac Mechanica.

1. Urbes munitæ longè preferenda sunt nudis; & inter munitas illæ, quæ sita sunt locis paludinosis.
2. Ampla urbis fossa secca, eruptionibus opportuna, eligenda videtur;
- modica vero arcis aquosa.
3. Vallum, glebis indutum præferimus opere lateritio; item obtusangulum magis rectangulo.
4. Ex corio tormenta bellica non videntur posse confici.
5. Trochlea simplici funis superne rota circumductus operationem non facilitat.
6. An quis (uti quidam vult) dato ubi ster, totam universi molem loco dimovere posset, solo nixu ambulantis formice?
- Affirmandum videtur.
7. Remus est rectis secundus; cuius hypomochlion non est schalmus, sed fluctus.
8. Librae vacuae æquibrantes possunt esse frandi obnoxiae.
9. Dato pondere & potentia, invenire velle; aut dato velle & pondere invenire potentiam;
- aut dato velle & potentiam invenire pondus.
10. Quantum sumi in ligno fuerit?
- explorare.
11. Unde circa cataractas oriantur vortices spirales;
- & cur in illis omnia ferantur ad centrum?
- explicare.
12. Quanta gravitatis sit tota terra?
- Stevinus existimat esse 24 (additis iis viginti tribus cfris) lb.
- Nos 24 abjici debere putamus.

D

XII. Ex

XII. Ex Astrologia, Magia, &c.

1. Vt laudabilis est Magia naturalis; ita diabolica, vana, & superflua sunt Artes Necromantica, Prestigiatrixes, Divinatrices, &c. item Astrologia, Alchymia, Physiognomia, maximam ex parte.
2. Operationes omnes que sunt solis verbis, characteribus, numeris, ceremoniis, sigillis, imaginibus; vel ope spiritus familiaris, ad Magiam diabolam relegamus.
3. Eodem pertinet ars characteribus, verbis aut herbis reddendi corpora insauciabilia vel invisiabilia.
4. Neque alio remittendum videtur unguentum hopliaticum; cuius author fertur fuisse Italus Parmensis Anshelmus, Pontificis licet Sanctus, insignis tamen Magus.
5. An Magi aut Veneficae scopis insidentes, ad sua conventicula convolenti? item, an seipso aut alios convertere queant in feles, lupos, &c? Dicitur.
6. Philorum non agit in amasiam ut amatorem suum certorem redamet.
7. Quid censendum de Alchymistarum Crysopœia? est & (figura planeta Alchymistarum) sine centro.
8. Solis eclypses non magis metuenda sunt, quam ejusdem per interpositionem nubeculam disparatio.
9. Vana est planetaria septem dierum nomenclatura.

XIII. Ex Ethica.

1. Ethica disciplina est distincta à Theologia.
2. Nullæ actiones morales in individuo sunt indiferentes.
3. Voluntas sequitur ultimum intellectus practici judicium.
4. Affectiones non sunt toto genere mali.
5. Virtus consistit in mediocritate, sed cum aliqua latitudine.
6. Atheismus revera peccatum est; & quidem summum.
7. Vti bellum Magistratui Christiano; ita moderamen inculpatæ tutela privato licitum est.
8. Potest quis sine mendacio falsum dicere.
9. Ludi in casu positi justam delectationis causam non habent.
10. Non satis videtur proportio debita servari, cum fur suspendio punitur.
11. Non tenetur quis ad mandatum Magistratus sibi ipsi violentias manus inferre.
12. An servo liceat aufugere à Domino? Dicitur.
13. An

13. An captivo liceat carcerem effringere? Affrm.

14. Nantæ pulverem nitratum incendentes inter eū & Φόβος numerandi sunt.

XIV. Ex Oeconomica.

1. Oeconomica non est appendix Politice.

2. An viro docto ducenda sit uxor? Quodl.

3. An fæmina conveniat litterarum scientia? Quodl.

4. Divortium facere nullo plane in casu est licitum.

5. Polygamia illicita est; si interim questio moveatur: An convenientius foret, unum virum plures uxores; an vero unam fæminam plures maritos habere? Aff. pr.

6. Contrahens cum eunucho non tenetur vinculo matrimonii.

7. Legitimatio per rescriptum Principis jure naturæ nulla est.

8. Dominus in servos, parens in liberos, potest esse injurius.

XV. Ex Politica.

1. Initium societatis politica non est à mutuo metu.

2. Cujusvis subditi est, judicare de bono & malo; nec is tenetur Magistrati præstare cæcam obedientiam.

3. 1. Sam. 8. non describitur jus Regis legitimum, sed usurpatum.

4. Injuria non paciti, sed juris, violatio est.

5. Pacta solo metu contracta, si non sint in re turpi, obligant.

6. Dux belli non potest licite hostium civitatem dare militibus in prædam victoriae; sed quidem eorum castra.

7. Pœna infliguntur in compendium justitiae; non tantum propter bonum futurum.

8. Medicus, cuius imperitia perit agrotus, extraordinaria pœna puniens est.

9. Asyla, improborum refugia, non recte aperiuntur.

XVI. Ex Logica.

1. Logica recepta & vulgaris ad omnium aliarum disciplinarum beneesse est necessaria.

2. Etiam eo nomine hæc commendabilis est, quod compendiose ac cum iudicio de rebus garrire doceat.

3. Denarius Predicamentorum numerus non incommodè servari potest.

4. Omnis relatio exigit fundamentum.

5. Genus an sit totum actuale an potentiale; questio de nomine est.

6. Omnia propria manant ab essentia subjecti.

7. Idea ad causam Efficientem pertinet.

3. Definitio bona potest esse imperfecta.
9. Definitio an sit thema simplex an complexum? Quodl.
10. Conclusio est pars Syllogismi.
11. Quartâ figura, utut admitti debeat, est tamen minus naturalis.
12. Si positis legibus generalibus, omnia Sophismata solvemus, assignando quatuor terminos.
13. Testimonium Diabolicum non est argumentativum.
14. Testimonium sensuum, positis ponendis, nunquam fallit.
15. In questionibus de nomine standum est authoritati, non etymologiae.
16. In inveniendis disciplinis ab effectu (utpote notiore) ad causam, non contrà, est progrediendum.

XVII. Ex Rhetorica.

1. Rhetorica pars Logica non est.
2. In Rhetorica de dimensione poëtica non est agendum.
3. Tropus solius delectationis gratia non adhibetur.
4. Non omnis Metaphora parit obscuritatem.
5. Rhetor etiam de Affectibus agit.
6. Similiter cadentia non semper puerilia, sed sœpe orationis ornamenta sunt.
7. Non semper & ubique more Attico, dicendum est ab orationis nō παθῶν.
8. An Orator etiam utatur demonstrationibus? Dist.
9. Exordium, post ceterarum partium compositionem, componi conductit.
10. In Epistolis methodica dispositio non est necessaria.

XVIII. Ex Grammatica.

1. Grammatica non est pars Logica.
2. Literæ jam ante diluvium inventæ videntur.
3. Interpunctatio ad Symæxin pertinet.
4. Verbum nomine est posterius.
5. Verbum substantivum est habendi significatione non regit genitivum.
6. Vnde recentioribus D. quingenta, M. mille notet?
7. Nulla lingua homini est naturalis; adeoque nec Hebreæ.
8. Orientalium scriptura, à dextra versus sinistram, nostrâ videtur rationabilior.
9. Elementorum Hebraicorum non alia, quam conjecturalis, datur etymologia.
10. Hebreorum y nobis est ineffabile.
11. Optime in lingua sancta omnes dictiones à consona incipiunt, & nulla syllaba consona caret.

F I N I S.

Per docto VIR O-juveni,
D. GERARDO de VRIES,
Pro Doctorali Philosophiae Laureâ,
IN CELEBERRIMA
LEYDENSI ACADEMIA,
Publicè de MUNDO disputanti.

Admiranda soli moles , patulumque theatrum.
Divinae dextrae , machina vasta poli,
Humanæ menti non mensurabilis orbis,
Immensique operis fabrica tota patet;
Ut penetret rerum naturas , abdita lustret,
Atque Creatoris discat ut inde decus,
Robur & immensum , majestatemque tremendam,
Quaque illinc radiat gloria summa Dei.
Pellicit hoc studium quosvis , juvenesque , senesque ,
Corda incredibili blanditiâque trahit.
Nec caret insigni fructu sapientia rerum ,
Quas circumscriptis finibus orbis habet.
Huc ratio concessa homini , quâ distat ab omni
Et bruto , ac hominum mentis egente grege .
Hoc sapiens vulgus malesanum passibus amplis
Anteit , & verâ sic ratione sapit.
Hoc studio celebres clarent , qui grande Sophorum
Nomen in aeternum sic peperere sibi .
Magnus Aristoteles hinc est celebratus in orbe ,
Hincque Sophi prisci pramia tanta ferunt .
Horum vestigis sistens dulcissime rerum !
Eximiâ mentem cognitione beas .
Artibus ingenuis longos consumere soles ,
Et Sophia noctes redadre pervigiles .

Cura fuit laudata tibi: nunc peccus abundat !
Multi iugis rerum cognitione satur!
Hoc doctum testatur opus, quod mente subactâ
De MUNDO scribis, tam solideque tenes.
Id veneranda patrum testatur turba togata,
Admirans mentis dona præclara tuæ;
Solennes raroisque tibi concedere honores
Quum dignata fuit, dummodo pompa placet.
Sic non tect a jacet, sed scandit ad æthera virtus
Intemerata; micans exerit alma caput.
Nec doctrina manet tantum sub pectore clausa,
Sed manifesta sui reddere signa valet.
Ignea vis mentis, cordis penetralibus hærens,
Nunc animo erumpens grandia multa docet.
Quicquid enim nostræ docuit te Palladis umbra,
Et Sophiae peccus quod melioris habet;
Inter doctorum plausum, & bona verba tuorum,
Id admirandâ dexteritate doces.
Nunc quoque clarabis patrum, sic ominor, orbem,
Et dabis obscuris lumina pura locis.
Quin igitur dudum sperati certus honoris,
Clarus honorifico nomine vive diu !

Amico singulari & iro-
amico singulari & iro-

amico singulari & iro-

ARN. BOSCHMAN.

SS. Min. Cand.



